





1737, 1

18

ORATIO  
DE  
NEXU PHILOSOPHIÆ CUM  
JURISPRUDENTIA ARCTISSIMO,

QUA  
ORDINARIAM FACULTATIS JURIDICÆ PROFES-  
SIONEM IN ILLUSTRIS VIADRINA SIBI  
DEMANDATAM

DIE. II. JUNII A. clo lo cc xxxvii.

AUSPICATVS EST

CHRISTIANUS FRIDERICUS GRÆVEN D.

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Typis SIGISMUNDI GABRIEL. ALEX.



ORATIO  
DE  
NEXU PHILOSOPHIAE CUM  
JURISPRUDENTIA ARCTISSIMO

QUA  
ORDINARIAM FACULTATIS JURIDICAE PROFESSORUM  
IN ILLUSTRI VIADRINA SIBI  
DEMANDATAM

DIE 12 JUNII A. CH. 1803

CHRISTIANUS FRIDERICUS GREVEN D.  
AUSPICIATVS EST

---

FRANKFURTI VIADRINAE  
TYPIS SIGISMUNDI GABRIEL ALEX.



PERILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO  
SIMI DOMINI

VIRO

PERILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

FRIDERICO  
DE REICHENBACH

S. R. M. PRUSS. CONSILIARIO INTIMO,  
PRÆSIDI CONSISTORII GRAVISSIMO

ET

CURATORI ACADEMIARUM SUPREMO,

PATRONO ÆTERNUM COLENDO

S. P. D

CHRISTIANUS FRIDERICUS GRÆVEN.



PERILLUSTRIS ATQUE EXCELLENTIS-  
SIME DOMINE,

**I**gnoscas audaciae meae, et Orationem, quam in praesenti Tibi offero, Nomini Tuo inscriptam, sereno et Tibi proprio vultu accipies. Cum enim statim sub demandati muneris initio, aliqua Tibi studiorum reddenda esset ratio, malui quaecumque eligere, quam minimam partem a religione officii declinare. Accipe igitur, Perillustri Domine, chartaceum hoc munusculum, tanquam submissionis meae non fucatae symbolum, atque Patrocinio Tuo me in posterum dignare. Qua spe fretus, Deum supplex precabor, ut Te incolorem perpetuo seruet omnique ornatum felicitate, quo Patria ac Musis nostris quam diutissime consulere possis. Vale. Scrib. Trajecti ad Viadrum d. 7. m. Aug. A. cl. DCC xxxvii.



Tit.



ea fuit superiorum seculorum  
conditio, ut illud solummo-  
do doctum putaretur, quod  
a sensibus remotissimum,  
ac ipsi Auctores sibi omni-  
modo applaudebant, cum  
eo usque in cogitando ascendissent, ut ne  
ipsi quidem intelligerent. Quanto quaso  
molimine peregerunt nostri Juris Glossatores  
suum laborem, ut nugae, nisi forte rectius  
dicam, nihil agerent? Sed evanuerunt illa  
tempora! Nostri enim contra homines, reli-  
ctis omnibus ambagibus, recta via ad erudi-  
tionem grassantur, illud solum, quo in praxi  
A utan-

utantur, sectantes. Vereor tamen, ne pro  
ambagibus habeant, quæ regia via est, atque  
ab ea aberrant inque sentes dilabuntur.  
Suspensio naso irridet majores suos, quos ita  
potuisse longe in cortice hære, nec post  
longam moram intima penetrasse.

Theologiæ sanctissimæ qui se dicavit,  
non amplius expectat, dum Græcæ hebraicæ-  
que linguæ notitia, dum Exegesis, dum peni-  
tior Historiæ ecclesiasticæ inspectio ipsi san-  
ctuarium aperit; ascendit sacram cathedram  
ac verba facit ad populum, antequam  
habet, quod peroret.

Hygeæ alumni non opus habere sibi per-  
svadent; saltus silvasque pererrare at-  
que legere herbas, nec rimari terræ venas,  
neque scindere cadavera; lis quippe bonus  
genius inspirat, quo medeantur ægris, ante-  
quam iis nosse datum sit, quæ vis morbi quæ-  
ve medicinæ.

Themidos demum filii fere omnium fe-  
licissimi videntur. Adsunt clientibus, re-  
spondent de Jure, causas in foro agunt, scri-  
ptis & sermone clientibus prolunt, tantaque  
animi magnitudine, ut Periclem ex Græcia  
inter nos versari censeas:

*ἡ γὰρ ἰβερὸντα ζυνοῦνται πάντα,*

adeo eis contigit ignota facultas, quod alio-  
quin



quin res multi laboris est, leges interpretari,  
qvas vix viderint. In uniuersum omnes cer-  
tant, citius altero ad rem, ut vocant, venire.  
In hoc tantum consentiunt, nisi forte potius  
conspiratio dicenda est, plane nihil ad sese  
spectare Philosophiam. Hinc eruditionis  
candore leuiter imbuti, de hoc studio non a-  
deo esse laborandum, putant, illud parum aut  
nihil facere ad qvarendum victum, studiosæ  
iuuentuti persvadent, & apud imperitos re-  
rum id sæpenumero efficiunt, ut in pristino  
hujus studii contemptu pertinaciter persistant.  
Summa certe injuria! Vindicandus ergo est  
huic honos! qvod in præsentem in me suscipere  
apud animum constitui.

Ne tamen alienos circulos turbasse vi-  
dear, neuiqvam demonstrabo: Omni stu-  
diorum generi Philosophiam esse necessari-  
am. Nostra nos jaçtemus in aula, & qvoad  
facultas nostra tulerit, istorum hominum  
falsam opinionem retundemus, ostensuri:  
**Philosophiæ necessitatem Themidos**

**alumno:**

Constat inter omnes, qvam melior Vobis  
A. O. O. H. sedeat sententia, ut ille Vester  
& genuinus ad hoc studiorum genus amor  
nobis per semihorulam facile audientiam sit  
conciliaturus.

A 2

Facile



Facile nimirum est, causam dicere apud Judicem, qui & rei & acturo favet. Hujus quidem tot in nobis exstant documenta, ut de eo dubitare idem esset, ac ea non referre in acceptis. Illud nos monebit, ne omnia ac singula adferamus, quia satis perspectum habemus, eam esse litterarum probis cultoribus indolem, ut Philosophiæ studia magni æstiment. Ipsi, A. O. O. H. intelligitis, amplissimum sese nobis aperire dicendi campum, quem emetiri uno itinere, veremur, ne Vobis molesti simus. Faciamus, quod solent, qui terrarum situs pingunt, in brevi quasi tabella totam argumentorum imaginem amplectemur, ita vero defungemur officio nostro, ut primum semel, postea per partes, Philosophiæ cum Jurisprudentia nexum ostendamus.

Philosophia est alma mater omnium disciplinarum atque principium, illæ contra sua habent peculiaria. Pandit ergo nobis viam ad reliqua illa rerum divinarum atque humanarum causarumque, quibus hæ res continentur, notitia, ut Ciceroni Sophia audit. Demonstratio quippe alia via haud succedit, nisi fundamentum noveris, cui cuncta superstructa sunt. Tale vero est Philosophia: nam nobis conspicienda sistit, unde reliqua pronata

ta fuerint, sistit generalia, quæ si habes,  
modo animum advertas, reliqua facile eli-  
cies. Hoc erit insigne, quo te ex censu plebis  
eximas. Quare ex illo hominum genere:  
cur res ita sit? hoc responsum feres: quia ita  
sit. O miseri! Quid distatis à brutis? Non-  
ne illa quoque sentiunt, quæ fiunt? Sed  
causas nesciunt. In hoc præstant homines  
brutis, quod rerum causas penetrare que-  
ant, quo vos ipsos indignos facitis, quibus  
DEUS os sublime dedit. Circa terram hæ-  
reatis, neque prima intueri vestrâ quid-  
quam interest. Audio quidem vos jactare  
spiritus, qui vos intus agant, stimulos ad-  
dant, ut in adsequenda eruditione haud vul-  
garem ponatis operam.

Quid, quæso, Vobis de illo videtur, qui te-  
cta fastigiumque ædium egregie parat, at-  
que sic domum sperat bonam, parum cete-  
rum curans, fundamenta jacta fuerint, nec  
ne? Ridebitis & irridebitis, sed simul & Vos.  
Unde enim, etsi magnam molem scientiæ  
composueritis, unde scitis, esse recta atque  
fundata? Ita quidem arcu solent addisci, ut,  
nulla habita ratione, tyrones ab artium sua-  
rum magistris discant, quia ita volunt. Quam  
incerta hæc erit via, immo non incerta, sed  
erronea, in brevia atque fyrtes viatores suos  
deducens.

A 3

Quam

Quam male cedebat Palinuro fallacibus undis navem credenti, & tu ipse sine gubernaculo scientius pervadere cupis? Abripien- te hinc inde venti, ut præjudiciis te committas. Faciles quoque aures præbebis dulci Serenum cantui, hærebis illic & hallucina- beris: Affectus puta, quibus ne abripiaris, oblinas, ut Jason sapienter faciebat, aures tu- as, ne blandas voces audias. Judica, non ex voluntate, sed ex re ipsa.

Opus est, ut oculos defixos teneas in polum, ut intuearis artem hanc, ne a via aberres: Logicam intelligo, ut Sophorum filii adpellant, quæ intellectum ita dirigit, ut ne præjudiciorum atque judiciorum a- pravis libidinibus prolatorum monstris abripi sese patiat, quin potius fortem se eis op- ponat. Est, inquam, illa ipsa disciplina, quæ homines de veritate concludendo adsequen- da instruit, ut verum à falso erudite secer- nere & fines mediaque erudita exputare pos- sint. † Ea ergo instructo cuncta bene cedent, quam qui non habent, neque norint sua cla- re distincteque, neque aliis, quorum inter- est, ita aperte exponere poterunt, ac si co- ram videatur.

Recte quippe majores nostri: Qui bene dis- tinguunt,

† *Cel. Rüdig. Phil. Pragm. P. I. §. XIII.*

stinguit, bene docet. Ex obscuro autem & confuso principio quæ erit conclusio? Nescient, qua ratione singula examinent. Ita fiet, ut veritates probabiles demonstrative & has ad illius decempedam metiantur, quo pacto plane aliam sortientur veritates faciem. Fac nunc, & examina ad hanc libram, quæ tibi obvient, & omnia erunt in vitio. Quem vero invienes, qui tam improba à te velit, ut doctrinis ejus cæco impetu subscribas? Examines ergo, necesse est, et cui, quæso, majori examine opus est, quam Themidos sacerdoti? Ille enim suum cuique vult tribuere, num id facere poterit, antequam rem probe perspexerit, examinaveritq; Qui in obscuriora indicia penetrare poterit, nisi clavi scientiarum obstructas fores referat? Et hic est titulus, quem tribuit acutissimus sui temporis Anglorum, de augmentis scientiarum Lib. V, cap. 1. Quanta ergo est quorundam dementia, qui nihilominus tenebras, quibus eruditio sæpe premitur, sine hac disciplina ratiocinatrice dispellere volunt? Carent vita, quæ eis deest, anima, quæ est Logica.

Sed non opus esse arbitror, eos multis refellere, quia eorum stultitia facile omnibus est irrisui, quod judicare & de Jure respondere cli-

clientibusque adesse velint, nec adhuc sciant, quid veritas, quaque ratione indaganda. Nescientibus autem veri indolem, quæ erit justitiam? hoc enim ex illo cognoscitur. Quanto magis ergo ille hinc inde offendet, cuius iusti atque iniusti principia nondum perspetta? Certe, si veritas alicubi, ea in Jurisprudencia necessaria est, sive facti, sive legum veritatem spectemus. Ea enim non aliter, nisi ex Systemate juris, poterit cognosci, quod tamen absque principiis logicis confici nunquam potest. Oportet illam nos regulas docere de certo incerto & probabili, immo in ipsa materia de testibus, præsumtionibus atque indiciis. Nemo itaque, hisce subsidiis qui non probe instructus, in intelligendo Jure nostro, Interpretum scriptis & pactis hominum, unquam felices poterit facere progressus, † fluctuabit, ad quas partes transeat. Discant ergo veram Logicam artificialem, quicumque rationis glorioso munere beari gestiunt!

Immortales certè laudes debentur Socrati, qui, ut Cicero, Diogenes, Lactantius, Galenus, locupletissimi testes sunt, moralem disciplinam, ut dicitur, de cælo deduxit. Hæc scilicet regulas secure & tranquille vivendi tra-

† *Clar. Erath d. nexu Philos. & Jurispr.*

tradit, immo ex ipsis moralis hominum natura  
principiis summum verumque ejus demon-  
strat bonum, ad quod habitu in exercendis  
virtutibus acquisito omnibus viribus tende-  
re debet. Hac ergo recte imbutus intelli-  
gis quid verum? Hic invenies natura-  
lem illam æquitatem, quam multi in ore ge-  
runt, nec sciunt, ubi eam reperiant. Frustra  
justitiam in civitate sectaberis, nisi hac instru-  
ctus. Continget, ut disertissimi Romuli ne-  
potum temporibus in proverbio erat: Sum-  
mum jus, summa injuria. Pravorum enim  
hominum causa non potuit non fieri, quin  
leges universaliter conderentur, ne pessimi  
hominum culpam prætexerent legum limi-  
tationibus, quas addere ejus est, qui Sacer-  
dotis justitiæ titulum præ se fert.

Per Vos intelligitis, Auditores O. O. H. mi-  
hi hic de Jure Naturæ, ut Philosophis au-  
dit, sermonem esse, quod mera & genera-  
lia continet Principia, quæ si ulterius de-  
termines, in Conclusiones Jus Civile con-  
stituentes abeunt; immò, si hoc vitium labo-  
rat, ad illius normam profecto examinari  
debet & emendari.

Si itaque turpe sit Patrono in foro versanti  
Jus Patrium ignorare, multo erit tur-  
pius homini in mundo viventi Jus Naturæ,

B

cujus

cujus implendi gratia unice est, nescire.  
Hoc certe est Jus illud, quo nullum aliud  
sanctius, præstantius & illustrius. Habet  
enim Autorem summum Deum, qui utitur  
illo in administratione rerum creaturarum, est  
Jus illud, quod Regum ac Principum maxi-  
mis & hominum infimis æqualiter est præ-  
scriptum, & cujus observandi gratia omnes  
homines nati sunt. Quemadmodum autem  
nihil vilius est, quam ignorare totius vitæ fi-  
nem, ita nec quidquam ex opposito genero-  
sius existere potest, quam tueri illum finem,  
propter quem sumus; ad quod proinde eo  
magis obligamur, cum Summus Legislator  
non obiter nec frigide hunc nobis aperue-  
rit, sed horrendis semper execrationibus comi-  
tatus sit, ut appareat, eum nobis sacro-  
sanctum & inviolabilem esse debere. Re-  
liqua enim jura variis mutationibus obnoxia  
sunt, Jus autem Naturale est immutabile.  
Illa ad certam tantum Rempublicam spe-  
ctant, hoc contra est universale & summas  
adeo Majestates obligans, quæ alias nullis le-  
gibus positivis obnoxia. Cætera denique  
jura saltem circa negotia hominum privata  
versantur, hujus autem Juris auctoritas in  
omnibus negotiis, quæ publica privataque  
salus geri postulat, occurrit.

Est





Est itaque Jus Naturale fons, unde Leges  
nostræ Civiles originem traxisse debent. Quæ  
vero sancienda & qua ratione urgenda?  
opus est Politices, cujus in Jurisprudencia  
necessitas eo magis patescit, quo certius est,  
hanc Legislatoriæ Politices Partem vocari.  
Hæc scilicet media tradit, quibus commode  
finis divinus, id est hominum salus in Civi-  
tate obtineri queat. Hæc cum res sit, in  
qua maxime versetur munus Jcti, qui po-  
test aliter fieri, quin sæpe talia media arri-  
piat, quæ civium commodis obsunt? neque  
hoc rite succedet, nisi eorum animos nove-  
rit, & si solidis argumentis expugnari neque-  
ant, adfectibus suis ad illud adigantur, quod  
alioquin nullo modo voluissent. Maxime,  
cum quæstiones sunt exercendæ, in vanum  
sæpe laborabis, nisi ambitiosum honore, ava-  
rum terrore ac metu, voluptuosum miseri-  
cordia elicias, & quæ sunt alia sexcenta  
commoda, quæ magni usus esse antecessores  
nostri abunde te docebunt. Ea vero disci-  
plina, quæ id tradit, dicitur Ethica. § III  
Sed pene oblitus essem, quæ primo loco po-  
nenda erant, Physices atque Metaphysices  
notitiam æque nostro Juris Studiose esse per-  
necessariam. Fateor, Jus Civile, si genus e-  
jus ponas, esse disciplinam moralem. • Ejus  
B 2 natu-

natura est, ut vires Naturæ ex intentione  
hominum applicet. En vires! unde vero  
illæ, nisi ex Natura, quam Græci *φύσιν* no-  
minant? Unde, quæso, animam cognosces  
Principium actionum nostrarum? unde nor-  
mam, quæ iis datur quæque lex vocatur, in-  
tentionem puta Creatoris, ad quam actiones  
tuas componere debes. Unde porro cau-  
sam ab effectu eumque divinum à naturali  
distinguere? unde denique certissima adver-  
sus Superstitionem & Atheismum quærere  
poteris remedia? nisi genuinis dictæ discipli-  
næ principiis rite instructus compareas. Re-  
cte quippe Cicero: † Omnium rerum natura  
cognita levamur superstitione, liberamur  
mortis metu, non conturbamur ignorance  
rerum, è qua ipsa horribiles sæpe existunt  
formidines, denique etiam morati melius eri-  
mus. Nec vero potest quisquam de bonis &  
malis vere judicare, nisi omni cognita rati-  
one naturæ & vitæ. †† In vanum ergo omnia  
cedent, etsi aureos tibi montes pollicearis,  
nisi adsint ei, quocum tibi est negotii, vi-  
res, ut votis tuis in foro respondeat.  
Quanto minus ergo, Themidos sacris initia-  
te! carere poteris Metaphysica? Ea quip-

† d. finib. L. I.

†† id. d. finib. L. III.

pe, sive Ontologiam spectes, primas causas,  
primos fines, digito veluti monstrat,  
quos in aliis disciplinis frustra quæres, immo,  
si ibi reperirentur, vitium foret disciplina-  
rum. Ea vero nescire, qui poteris nosse  
disciplinarum reliquarum, tui præsertim Ju-  
ris, Principia? sive spectes partem practi-  
cam. Huic certe cuncta, quæ in hoc re-  
rum universo usu veniunt, superstructa sunt.  
Demas enim esse Deum, demas esse Omnia-  
pientem, Omnipotentem, Infinitum, Æter-  
num: demas velle, ut hominibus bene sit:  
qui poteris frena injicere hominibus, ne li-  
mites ab illo positos transiliant? qui poteris  
cives eo adigere, ut socialiter vivant, nisi  
eos doceas, etsi sæpe pœna ab hominibus non  
adfigantur, majorem adesse Vindicem, Sum-  
mum videlicet Numen? Eant ergo & lon-  
gissime sese facestant, qui Juvenes studiosos  
pernoxio illo præjudicio innutrient, ut ne  
aliquid temporis Philosophiæ dogmatibus  
impendant, sed misso illo, statim ad rem, ut  
vocant, sive ad panem lucrandum progre-  
diantur. Nolite vobis persuadere, illud in  
rem vestram fieri. Facile spero, locum ar-  
gumentis nostris, quibus pro necessario  
Philosophiæ cum Jurisprudencia, quam co-  
limus, nexu militavimus, vos esse relictu-  
ros.


ros. Permittite demum illis, ut suæ inertia litent: Quilibet virtutem callens fortiter, antequam in Themidos contubernium veniat, in Sophiæ castris excubabit, tunc enim facile & illud consequi poterit. Nolo huic materiæ ulterius immorari A. O. O. H. quamvis multa supersint, quæ de vera & prudenti Juris applicatione circa Thema à nobis propositum adferri possent; sed, ne patientia vestra abutar, hic sistam gradum, meque statim ad id accingam, cujus potissimum gratia Cathedram hodie conscendi. Nimirum, cum demandatum mihi, jam ante aliquod temporis spatium, Professoris Juris Ordinarii munus hodie demum auspicari liceat, **POTENTISSIME REX, Patriæ Pater, & Academia hujus Nutritor longe Clementissime!** ad Augustum Thronum Tuum supplex appropinquo, & veneratus Regii Sceptri Majestatem pro tanto in me collato beneficio, quod unum nunc possum, devotissimas ago gratias, id impofterum semper operam daturus, ut Gratiæ hujus atque Clementiæ memoria perpetua mihi sit ac immortalis. Faxit Divinum Numen, ut totius Augustissimæ Domus Tuæ Perennitas perennem Regno Tuo felicitatem præstet, & patria nostra sub Tanto Patre, Academia nostra

stra sub tam Augustissimo Præside floreat vi-  
geatque! <sup>sup. motu. motis. mubiquo. ibi. cy. 1</sup>  
Jam ad Vos me converto, *Proceres Aca-*  
*demia Celeberrimi!* Plenissimum pietatis est  
opus, bene mereri de omnibus, & quorum-  
vis honestos conatus promovere iisque præ-  
cipue adesse, qui quodam arctiori vinculo  
colligati nobiscum jamdiu nostri sunt. Mi-  
hi aliquando ab Illustri Jctorum Franco-  
furtensium Ordine jura docendi privilegia  
consecuto certius de ista summa Vestra P.  
A. C. benevolentia constat, quam, ut vel  
levissima suspicione eam in dubium vocare  
possem. Quamobrem hac præclara Vestra  
in me voluntate fretus id sedulo operam da-  
bo, ne, quidquid fecistis, ingrato fecisse vi-  
deamini, nec animus vobis devotus de præ-  
stitis his officiis unquam conticescat!  
Ad Vos quoque propero, *Generosissimi &*  
*Nobilissimi Academia Cives*, Fautores at-  
que Commilitones svavissimi! meum jam  
est Vestrum præcipue favorem, Vestram be-  
nevolentiam, Vestrum amorem mihi conci-  
liare. Fateor, me meaque studia Vobis esse  
dicata, quamobrem eos præcipue, qui spem  
atque fiduciam in futuris lectionibus meis  
reponere, meque docentem præsentia sua di-  
gnari voluerint, obnixè rogo, ut diligentia  
atque

atque amore mutuo animum meum, ipsis in-  
serviendi cupidum, alacriorem quotidie red-  
dere velint, de me certo persuasi, me  
officii mei haud immemorem cujusque desi-  
derio pro virili facturum satis.

Denique A. O. O. H. omnibus ac singulis,  
qui sepositis forte gravioribus negotiis, brevi  
huic sermoni benevolas aures præbere vo-  
luerunt, grates persolvo maximas. Habe-  
bunt me quoque ad omne officiorum  
genus promptum paratissi-  
mumque.

Dixi.









Frankfurt a. O., Diss. 1736-37

VD 18


ULB Halle 3  
007 393 474



TA → OL







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1737, 1  
18

ORATIO  
DE  
PHILOSOPHIÆ CUM  
SCIENTIA ARCTISSIMO,  
QUA  
CULTATIS JURIDICÆ PROFES-  
SUS ILLUSTRIS VIADRINA SIBI  
COMMISSAM  
COMMISSAM  
MUNII A. MDCCXXXVII.  
AUSPICATUS EST  
FRIDERICUS GRÆVEN D.  
FURTI ad VIADRUM,  
IURISCONSULTI GABRIEL. ALEX.

